



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1712

Q. 245. Quis modus & ordo sit servandus à Confessario, ut pœnitentem rectè disponat ad validam absolutionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42433

rius pœnitentem, præsertim gravia confessum, è confessionali egredientem respiciat vel oculis prosequatur quasi nosse volens. Denique S. Xaverius suprâ monebat Confessarios, ut postea seipfos examinarent super confessiones auditas, ut quæcumque in alienis peccassent confessionibus, expiarent suis.

Q. 245. Quis modus & ordo sit servandus à Confessario, ut pœnitentem rectè disponat ad validam absolutionem. R. Dispositionem pro Baptismo tradit Trident. sess. 6. c. 8. potestque Pœnitentiæ accommodari, ad hanc enim requiritur ad minimum similis dispositio: sic autem habet: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo IESU, & dum peccatores se esse intelligentes, à divinâ justitiâ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quæ ante Baptismum agi oportet: Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam & servare divina mandata. Ex his verbis.*

Colliguntur seqq. 1. Ut Sacramentum Pœnitentiæ sit validum, prærequiruntur actus fidei & spei, uti pluribus declaratum est l. 2. à n. 14. Et horum actuum defectu multæ confessiones sunt invalidæ, quia multi accedunt, qui nihil sciunt de motivis fidei aut spei. 2. Specialiter

cre-

credere debet pœnitens remissionem peccatorum ex meritis Christi nobis fieri, ideoque eisdem Christi meritis eandem sperare. 3. Pœnitens debet incipere diligere Deum tanquam omnis iustitiæ fontem: quibus verbis multum confirmatur sententia ad valorem Sacramenti prærequirens actum, qui sit amor saltem concupiscentiæ & positiva conversio ad Deum tanquam finem ultimum: ideoque ad prudentem Confessarium pertinebit, suggerere motiva alius eius dilectionis erga Deum, per quam absolvendus redeat ad illum, à quo se averterat peccatum, imò expedit suggerere motiva etiam perfectæ contritionis, ut tanto cum maiori fructu suscipiatur Sacramentum. 4. Cùm Confessarius sæpe præire debeat in istos omnes actus, ante omnia necesse est, ut ipsemet distinctè noverit motiva fidei, spei, attritionis, contritionis, charitatis: formulas istorum actuum dedil. 2. à n. 153., quisque pro suo gustu facillè proponet similes.

1723. Q. 246. Quomodo pœnitens practicè disponi possit ad dolorem de peccatis. R. §. 1. Quamvis adulti ordinariè præsumi possint habere dolorem de peccatis, ideoque opus non sit de hoc rogare, uti notant *Lohn.* & alii cum *Ills.* n. 240. tamen expedit, ut Confessarius plerosque excitet ad dolorem & propositum, suggestis pro utroque motivis secundùm capacitatem pœnitentium: & quia non omnes eisdem motivis permoventur, debet Confessarius omnis generis motiva in promptu habere, & prout visum fuerit opportunum, jam hoc, jam illud proponere. Motiva autem illa sunt universim quatuor, *pœnæ*, quas peccata merentur; *præmia* & bona, quæ demerentur.